

constituit Ugonem de Ruffilione suum procuratorem, & certum missum ad recipiendum pro ipso Gulielmo, & vice, & nomine ipsius possessionem castri Murasfchi, & de Truxobio, & omnium aliarum rerum suarum, & suorum hominum, quod & quos amiserat tempore guerræ promittendo quidquid dictus Ugo fecerit in recipiendo dictum castrum, & dictam possessionem omni tempore ratum, & firmum habebit, & fuerunt testes rogati Curtus de Brovida, Vergilius de Miribello, Jacobus Bocaccius de Aquis.

Ego Anselmus S. Pal. Not. rogatus hanc cartam tradidi, & scripsi. Et ego Carolus Gafforius Not. S. Pal. ec. Et ego Ubertus de Trugio, qui dicor Cremonensis Not. S. Pal. ec.

Capitula prolata a Monachis S. Petri in lite adversus capitulum Eccl. Cathed.

178

MCCXXXIX.

Anno Incarnationis Domini MCCXXXIX.
D. Ainardus Syndicus Canonorum præcepit Anselmo Notario exemplare sequentia capitula. In primis quod Monasterium habuit, & habere consuevit parochiam, & jus parochiale in dicta civitate Aquensi, & ejus suburbio. Item quod suburbium, in quo est illud monasterium est ita antiquum, ac civitas, & circumdatum est monasterium habitationibus, sive habitaculis omnibus partibus, anni sunt XLII., & plus, & per tantum tempus, cujus non extat memoria. Item quod Capellanus est, & esse consuevit in ipso monasterio per tantum tempus, cujus non extat memoria. Item quod ille Capellanus, qui modo est, & alii, qui pro temporibus fuerunt, electi, & instituti fuerunt, & eligi, & institui consueverunt in ipso monasterio per Abatem, & Monacos per annos XL., & plus, & per tantum tempus, cujus non extat memoria. Item quod dictus Capellanus illius monasterii baptizat pueros illos, quos facit Christianos apud Ecclesiam S. Petri in fontibus minoribus, qui sunt in Ecclesia S. Mariæ quando non fiunt solemnia baptismata, & etiam in majoribus quando sunt pleni præter quam in Sabbato sancto. Item quod Monachi, & Capellani illius monasterii ungunt, & ungere consueverunt infirmos oleo sancto per annos XL., & plus, & per tantum tempus, cujus non extat memoria in civitate, & suburbio, & quod tribuunt, & tribuere consueverunt per prædicta tempora corpus Christi infirmantibus in dicta civitate, & suburbio. Item quod Capellani illius monasterii per prædicta tempora duxerunt, & ducere consueverunt illas personas, quibus jungenda erat sollemnis poenitentia ad Dominum Episcopum Aquensem, vel ad poenitentialem. Item quod privilegium, seu scriptura illa, quæ Abbas, & Monachi illius monasterii dicunt privilegium esse quondam Dudonis Aquensis Episcopi, est repertum in ipso monasterio ante annos X., & stetit in ipso monasterio ante annos XL., & plus ultra prædictos X. annos. Actum Aquis in claustro S. Mariæ majoris. 60
Et ego Anselmus Notarius Sacri Palatii ec.

Fidelitas DD. Meladii potestati Aquensi.

MCCXXXI.

179

Anno Domini MCCXXXI., indictione IV., die Mercurii XV. januarii in castro Meladii Anselmus Laforus facit fidelitatem Domino Robe Castelpotestati Aquensis vice communis Aquis. Interfuere testes Willelmus Serdo, Arnaudus Bencii, Sachus, & Copa rogati. Inde dictus Potestas jussit chartam fieri. Ego Jacobus Notarius jussu dicti Potestatis hanc chartam scripsi.

In eadem membrana subjungitur fidelitas Arnaudi Zambar; item alia Arnaldi judicis eodem hoc anno, ac die præstita, & coram eisdem testibus.

Sententia Ottonis Aquensis Electi, & Arnaudi Archipresbiteri de Vigesimo confirmans jus parochiale in suburbio Aquarum Ecclesiæ Cathedrali.

20

MCCXXXI.

180

Anno Domini MCCXXXI., indictione IV., die Sabbati II. intrante augusto. In Castelleto Aquis præsentibus Petro de Pusterna, Cantatore, Tibaudode Porta, Henrico Bocaccio, Gavaro, & Jacobo Problino testibus rogatis. D. Lotherius præpositus Canonice S. Mariæ Aquensis, & capitulum ejusdem scilicet D. Merlo (1) Archipresbiter de Cunchis, Dodo Archipresbiter de Bestagno, Presbiter Otto de Cassinis, magister Enricus Ogerius, Willelmus Archipresbiter, & D. Simon de Terdona Canonici ejusdem Ecclesiæ tunc residentes in prædicta Ecclesia pro capitulo ex una parte, & D. Totusbonus Abbas S. Petri Aquensis cum consensu, & voluntate fratrum suorum, videlicet Presbiteri Willelmi de claustro Prioris, Henrici de Septebrio, Arnaudi de Uilioli, D. Manfredi Prioris S. Remigii, Petri Morengii, Fr. Johannis Pagani, Fr. Martini, & Presbiteri Tidixii ex altera nomine prædictarum Ecclesiarum de jure, & super jure parochiali, & super expensis factis circa litem post appellationem de communi voluntate in D. Othonem Aquensem electum, & D. Arnaudum Archipresbiterum de Vigesimo, & D. Vicentium ejusdem monasterii Monacum super hoc a partibus electos arbitros pro bono pacis, & concordie omnino compromiserunt, qui in evidentia utriusque partis inter eos componant si poterunt, alioquin pro eorum arbitrio visis, & cognitis rationibus utriusque partis quæstionem eandem amicabiliter decident, usque ad S. Michaelem proximum, quæ partes sub poena C. libr. parti stipulanti a parte præmissa solv., sententiam dictorum arbitrorum promiserunt ad invicem inviolabiliter observare renunciantes omni juri divino, & humano, & omnibus literis impetratis, & impetrandis. Item additum fuit in compromisso, quod si quis arbitrorum, scilicet tertius a concordia duorum dissonaret, & nollet cum aliis duobus concordare, alii duo in negotio possint procedere, & quæstionem definire, & sententiam duorum arbitrorum in hac parte tantundem valeat, ac si omnes tres arbitri concorditer sententiaissent. Item additum fuit expressum in compromisso, quod si infra præ-